De quibusdam Aeschyli Choephororum locis.

Loci, quos mihi hac dissertatiuncula tractandos proposui, inveniuntur in magno illo commo, qui est in Choephoris v. 312-469. Quod carmen cum in libris mss. monostrophicum legatur, in strophas atque antistrophas distinctum exhibuit Hermannus in Observationibus criticis in Aeschylum et Euripidem. Constat quatuor systematis hunc in modum describendis:

I. α′ β′ α′ Anap. γ′ β′ γ′ Μεσῳδὸς δ′ ε′ δ′ Anap. ς′ ε′ ς′
Or. Ch. El. Ch. Or. Ch. El. Ch. El. Ch. Or. Ch. El. Ch. Or.

II. ζ′ η′ η′ ζ′
Ch. Or. El. Ch.

III. ϑ′ ϑ′
Or. El. Ch. Or. El. Ch.

IV. ι′ ι′
Ch. Ch.

Anapaesti, qui sunt inter antistropham α′ et stropham γ′, a coryphaeo hemichorii A, ii qui sunt inter antistropham δ′ et stropham ς′ a coryphaeo hemichorii B, anapaesti Mesodi ab universo Choro recitantur. Quinque systemata qui fecerunt editores, non perspexerunt, etiam anapaestos esse antistrophicos.

Argumentum totius carminis planctus est ad sepulcrum Agamemnonis institutus ab Oreste Electra Choro; ita quidem, ut priore primi systematis parte Orestes, altera Electra, secundo systemate Chorus lamentationem incipiat et ut semper Orestis verbis Electra, Electrae Orestes, Chorus ubique sibi ipse respondeat.

Eximiis huius carminis difficultatibus tollendis plurimum iam studii tribuerunt viri docti, quorum curis factum est, ut permulti loci, qui in libris mss. valde corrupti leguntur, haud dubie prorsus sint sanati. Commemorare liceat egregias emendationes Hermanni et Ahrensii in str. ζ', quam et scholiastae interpretatione et Hesychii glossa ducti levissimis mutationibus plane integram restituerunt.

Duo autem praecipue loci sunt, quos cum et ad sensum et ad constructionem verborum non prorsus recte explicatos putem ab editoribus, hoc opusculo tractandos elegi.

Ac primum quidem agam de stropha α', quae continet v. 312—319.

Hermannus, quod in Observationibus criticis et Elementis doctrinae metricae, antistrophae metro ductus,

τύχοιμ' ἄγκαθεν οὐρίσας

coniecerit, se falsum esse ipse fatetur in editione Aeschyli, quoniam ἂν omitti nequeat. Et ut solus optativus hoc loco ferri possit, tamen iam vocabulum ἄγκαθεν num ex ἀνέκαθεν per syncopen ortum sit, quamvis testantibus Grammaticis veteribus, valde dubito. In Eumenidibus Aeschyli v. 361 Hermannus iam recte ἀνέκαθεν restituit, et ne altero quidem loco, quo apud Aeschylum invenitur, scilicet initio Agamemnonis, ferendum videtur. Hominis enim in cubitum innixi cum cane comparatio comici quidem poëtae, sed minime Aeschyli esset. Itaque ibi quoque ἀνέκαθεν scribendum puto, assumta Schneidewini coniectura στέγαις in στέγης mutantis.

At optativus omisso ἂν nostro loco alienus est itaque ἀνέκαθεν a Wellauero propositum reiiciendum. Extant quidem non pauci loci, quibus in tali interrogatione optativus sine ἂν reperitur, sicut in Sophoclis Antigona v. 604, sq.

τεὰν (Nauck. τίς σὰν) Ζεῦ δύναμιν τίς ἂν —
δρῶν ὑπερβασία κατάσχοι;

(sic enim legendum cum libris mss.); ad quem locum Hermannus: „Coniunctivus hic ne ferri quidem potest. Non est enim hic deliberationi locus, neque de eo sermo est, quid debeat quis facere, sed illud quaeritur, quid putemus fieri. Si ἂν addidisset, sensus esset: ***quis poterit tuam vim vincere?*** Nunc omisso ἂν obliqua oratione utitur: ***quis vincat*** i. e. ***quem putas vincere Jovem?***“ Similiter Reisigius in commentatione de particula ἂν p. 133.

Etiam in Soph. Oed. Col. 1418 sq. omnes libri habent:

ἀλλ' οὐχ ὅῖόν τε· πῶς γὰρ αὖθις αὖ πάλιν
στράτευμ' ἄγοιμι ταὐτὸν*) εἰς ἅπαξ τρέσας;

Optativus sine ἂν etiam hoc loco sensum praebet aptissimum. Polynices enim, sorori supplicanti, ut exercitum Argos reducat, respondet: ***At hoc fieri non potest; Quomodo enim putas me iterum exercitum ducere posse, si semel fugerim?***

Attamen nostro loco aliter se rem habere mox videbimus, si quibus cum participiis verbum τυγχάνειν coniungendum sit, exposuerimus.

Plerique enim editores, inter quos Hermannus, coniunxerunt τί τύχοιμ' ἂν cum participiis φάμενος et ῥέξας, sensum hunc esse rati: ***Quid dicere aut quid facere potero?*** Qua verborum constructione admissa verbum τυγχάνειν hic potius eam vim habere putamus, qua haud raro apud tragicos usurpatum videmus, ut significet: ***scopum ferire.*** Praeivit Homerus, absolute ponens:

Ἤμβροτες οὐδ' ἔτυχες·

Inde factum est, ut τυγχάνειν etiam metaphorice poneretur et ***a vero non aberrare*** significaret. Multis igitur locis non adverbio ***forte*** sed ***vere*** vel ***recte*** vertendum est. Sic Sophocles in Philoct. 220, sq.

Ποίας πάτρας ὑμᾶς ἂν ἢ γένους ποτὲ
τύχοιμ' ἂν εἰπών;

Quosnam vos appellans veritatem assequar? i. e. ***Quosnam recte vos appellem?*** Eodem modo intelligenda haec formula in Aeschyli Agamemn. v. 1192 sq. (ed. Herm.):

τί νιν καλοῦσα δυσφιλὲς δάκος
τύχοιμ' ἄν;

Quale monstrum odiosum vere eam appellem? Idem significat verbum κυρεῖν in Soph. El. 650

Ἦ καὶ δάμαρτα τήνδ' ἐπεικάζων κυρῶ
κείνου;

Etiamne uxorem hanc recte conicio illius esse? Simillimus verbi ἁμαρτάνειν usus est Soph. Ai. 154, sq.

τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς
οὐκ ἂν ἁμάρτοις·

*) Verissime ad hunc locum animadvertit Hermannus, Polynicem de expeditione iterum facienda cogitare non potuisse. Sed ne eam quidem, quam init explicandi rationem, probare possum; itaque accedo Nauckio ταὐτόν corruptum esse iudicanti, excidisseque vocabulum quale εὔτακτον, ita ut legendum sit:

πῶς γὰρ αὖθις αὖ πάλιν
στράτευμ' ἄγοιμ' εὔτακτον, εἰς ἅπαξ τρέσας;

Quodsi verbum finitum τύχοιμ' ἂν cum participiis φάμενος et ῥέξας iungendum existimamus, vertemus: ***Quid faciens aut quid agens a vero non aberrabo?*** i. e. ***Quid recte dicam aut agam?***

Equidem ut hanc verborum constructionem non sequar, ea re adducor, quod poëtas Graecos, inprimis tragicos, haec duo verba εἰπεῖν et ἔρδειν vel similia nec minus duo eius generis substantiva saepissime ita coniungere video, ut unam notionem exprimant et quasi proverbialiter dicta esse videantur. Sic in Sophoclis Oedipo rege v. 71 sq. legitur:

ὡς πύθοιθ' ὅ τι
δρῶν ἢ τί φωνῶν τήνδε ῥυσοίμην πόλιν·

Ut oraculum consuleret, quid omnino agens, i. e. ***qua tandem ratione hanc urbem servare possem.*** Simillime coniunguntur οὔτε πάσχων οὔτε δρῶν i. e. ***nullo modo,*** nec abest a nostri loci ratione notissimum illud Ismenae in eiusdem poëtae Antigona:

Τί δ', ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ
λύουσ' ἂν εἶθ' ἅπτουσα προσθείμην πλέον;

ubi additis verbis λύουσα εἶθ' ἅπτουσα exprimitur, omnis consilii expertem se confiteri Ismenam. Praeterea nesciò an comparari possit οἵ τ' ὄντες οἵ τ' ἀπόντες (ὀπάονες) i. e. ***quotquot sunt;*** sive μὴ ξένων μηδ' ἀστῶν τινι, i. e. ***omnino nemini.***

His exemplis satis mihi videor demonstrasse, etiam nostro loco verba τί φάμενος ἢ τί ῥέξας sic intelligenda esse, ut significent: ***qua tandem ratione.*** Sic optime animus Orestis dubius necdum ad patrandum facinus confirmatus exprimitur. In pronomine τί ad participium ῥέξας repetito nihil offensionis esse loco paullo antea a me laudato (ex Oedipo rege) intellegitur.

Inde apparet, verba τύχοιμ' ἂν cum participio οὐρίσας iungenda esse.

Verbo οὐρίζειν, quod significat: ***secundo flatu propellere,*** nunquam Graeci intransitive usi videntur. In Aeschyl. Pers. v. 605 (ed. Herm.), ubi legitur:

τὸν αὐτὸν ἀεὶ δαίμον' οὐριεῖν τύχης

e genetivo τύχης ad οὐριεῖν supplendus est accusativus τύχην, nec minus in Sophoclis Trach. v. 828 compositum κατουρίζειν transitivam vim habet. Ad verba enim

καὶ τάδ' ὀρθῶς
ἔμπεδα κατουρίζει·

ex antecedentibus subiectum δωδέκατος ἄροτος repetendum est. Neque hoc refelli posse arbitror eo, quod compositum ἐπουρίζειν nonnullis locis transitivam vim deposuit. Nam

haud ita raro fit, ut compositum verbi transitivi absolute ponatur, ita ut significationem transitivam exuisse videatur. Egregium huius rei exemplum est verbum compositum ἐκφέρειν, quod aperte intransitivum est Soph. Trach. 824.

ὁπότε τελεόμηνος ἐκφέροι
δωδέκατος ἄροτος.

Neque in Soph. Oed. Col. 1424 sq., ubi libri praebent:

Ὁρᾶς τὰ τοῦδ' οὖν ὡς ἐς ὀρθὸν ἐκφέρει
μαντεύμαθ', ὃς κ. τ. α.

ἐκφέρει in secundam personam ἐκφέρεις mutandum videtur. Idem de verbis ὑπερφέρειν, ἀναφέρειν, διαφέρειν, προφέρειν, συμφέρειν valet.

Cum igitur constet etiam nostro loco verbum οὐρίζειν transitive dictum esse oportere, quaerendum est, qui sit accusativus ex illo pendens. Hunc esse φάος Blomfieldius vidit.

Sensus igitur est: ***Quomodo possim tibi opportunam lucem ferre, quae tenebris tuis contraria sit i. e. eas compensare queat; attamen etiam planctus gratus dicetur pristinis Atridis.***

Venio nunc ad alterum locum, quem mihi tractandum proposui, mesodum videlicet, qui est a v. 367-374, anapaestis totius Chori constans.

Postquam in praecedente stropha optavit Electra, ut pater omnino ne interfectus esset, immo interfectores eius occubuissent, Chorus haec improbans ut nimia atque vana optata, et ad agendum impulsurus, duplicis calamitatis, in qua versentur, admonet.

V. 370 in libris mss. legitur:

μείζονα φωνεῖ· ὀδυνᾶσαι γάρ,

unde in Turnebi editione

μείζονα φωνεῖς· ὀδυνᾶσαι γάρ

receptum est. Quod cum non intellegerent plerique editores ὀδυνᾶσαι γάρ ut glossema uncis incluserunt, alii alias coniecturas protulerunt; inter quos vocalem ο retinuerunt Porsonus coniciens ὀδυνᾷ γάρ, Blomfieldius: ὀδυνᾷ σᾷ nec minus Lachmannus et Muellerus, οὐ δύνασαι γάρ legentes; qui quidem ita differunt, ut Lachmannus sententiam his verbis finitam existimet, Muellerus versum paroemiacum excidisse putet, cuius hic fere

sensus fuerit: ***Neque enim potes mortuos ab inferis excitare.*** Hi omnes non diligenter animadverterunt ad verba Scholiastae, qui cum interpretetur: Μείζονα φωνεῖς] ῥᾴδιον γὰρ τό εὔχεσθαι, certo negationem non legit. Itaque optime coniecisse puto Hermannum:

μείζονα φωνεῖς· δύνασαι γὰρ.

Eleganter enim observat Bambergerus, ultimam vocis φωνεῖς literam in primam corruptae vocis ὀδυνᾶσαι abiisse. Quam lectionem ut tueatur affert Hermannus Hom. δ, 827.

Τοίη γάρ οἱ πομπὸς ἅμ' ἔρχεται, ἣν τε καὶ ἄλλοι
ἀνέρες ἠρήσαντο παρεστάμεναι, δύναται γάρ,
Παλλὰς Ἀθηναίη.

et Euripidem in fine Electrae:

Χαίρετε· χαίρειν δ' ὅστις δύναται
καὶ ξυντυχίᾳ μή τινι κάμνει
θνητῶν, εὐδαίμονα πράσσει.

At ut his locis probetur, usitasse poëtas δύνασθαι tali modo, tamen ad sensum nostri loci non multum prosunt. Nam nostro loco sine dubio δύνασαι γάρ debet significare: ***licet enim tibi***, quae vis in neutro loco ab Hermanno allato inest. Afferendus potius erat Homerus ε, 25:

Τηλέμαχον δὲ σὺ πέμψον ἐπισταμένως, δύνασαι γάρ.

vel Eur. Iphig. Taur. v. 62.

Νῦν οὖν ἀδελφᾷ βούλομαι δοῦναι χοὰς
παροῦσ' ἀπόντι, ταῦτα γὰρ δυναίμεθ' ἄν·

Quae sequuntur verba sic in libris scripta invenimus:

Τῶν μὲν ἀρωγοὶ
κατὰ γῆς ἤδη· τῶν δὲ κρατούντων
χέρες οὐχ ὅσιαι· στυγερῶν τούτων·
παισὶ δὲ μᾶλλον γεγένηται.

Quamquam maxime variae de hoc loco sententiae prolatae sunt ab editoribus, tamen nemo omnium neque ad constructionem verborum neque ad sensum mihi satisfecit. Jam verba τῶν μὲν ἀρωγοὶ κατὰ γῆς ἤδη, quae neminem interpretum offenderunt, non

inepte Bambergerus videtur in suspicionem vocasse corruptionis. Non potest enim, si hanc lectionem veram statuamus, nisi de solo Agamemnone dicta esse vox ἀρωγοί, ita ut sensus fiat: ***malorum adiutores iam mortui sunt.*** At jure quaerit Bambergerus, qui fieri possit, ut vivi Agamemnonis auxilium disideretur, ut liberis opem ferat, quorum calamitas nulla alia e causa oriunda erat, quam e caede patris. Immo est quidem Agamemno, quem ad opem ferendam invocant, sed non vivus Agamemno sed mortuus ab inferis ad auxilium evocandus, nec minus Di inferi, quorum opem in sequentibus strophis et Electra et Orestes expetunt. In quibus igitur cum abeam in Bambergeri sententiam, tamen ne quam proponit quidem mutationem: κατὰ γῆς δὴ ab Aeschylo profectam esse mihi possum persuadere.

De verbis sequentibus longissime discrepant virorum doctorum sententiae. Libri praebent στυγερῶν τούτων, quae verba in cod. Laurentiano interpunctione et a praecedentibus et a sequentibus distincta sunt. Consentit Scholiasta, dicens: τοῦτο ἰδίᾳ ἀποπεφώνηται, τῶν ἄγαν στυγερῶν τούτων. Hoc solus defendit Ahrens in libro qui inscriptum est: De causis quibusdam Aeschyli nondum satis emendati, p. 16, vertens: ***Quum haec omnino sint mala, liberis etiam peiora sunt quam aliis.*** Huic proxime accedunt Blomf., coniciens:

χέρες οὐχ ὅσιαι· στυγερὼ τούτω

Utrumque horum difficile et odiosum, et Bothius scribens:

στυγερὸν τοῦτ' οὖν

Hi omnes constructione, ut ita dicam, absoluta usum esse poëtam opinantur. Aliam explicandi rationem instituerunt, qui verba στυγερῶν τούτων, sive quod pro τούτων legendum esse dicunt, cum antecedentibus coniungunt. Sic Schuetz., coniciens:

οὐχ ὅσιαι στυγερῶν θανάτων·

Ὅσιος enim, si cum genetivo coniunctum invenitur, significat eum, qui in aliqua re pium se praebet; itaque οὐχ ὅσιος dicetur is, qui sceleris non expers est. Quare secundum Schuetzium vertendum est: ***Regum vero manus non purae sunt mortis abominandae.*** Hermannus in Obss. critt. coniecit στυγερῶν ὄντων, id quod in editione Aeschyl. mutavit in στυγερῶν γ' ὄντων, in dubio relinquens, utrum στυγερῶν γ' ὄντων forma neutra e voce ὅσιαι pendere an forma masculina ad τῶν κρατούντων pertinere vellet. At non credo prorsus sanatum esse locum; nam cur dicantur regum manus ***non purae*** esse sceleris cum aperte dicendae sint perpetrasse scelus. Sensum totius loci contendo hunc debere

esse: ***Duplici de causa dolemus; primum quod adiutoribus caremus, tum quia reges sunt qui scelus perfecerunt. Quare liberi magis etiam laborant.***

Haec mihi iterum iterumque revolventi in mentem venit, in lectione τούτων, quam libri praebent, fortasse latere vestigia verbi οὐτᾶν itaque scribendum esse:

τῶν δὲ κρατούντων
χέρες οὐχ ὅσιαι στυγερῶς οὔτων

sive:

χέρες οὐχ ὁσίως στυγερῶς τ' οὔτων

sensu hoc: ***Regum vero manus impie atque nefarie eum interficiebant,*** i. e. ***qui impie atque nefarie eum interfecerunt, reges sunt.*** Χέρες τῶν κρατούντων ut saepissime abundanter pro οἱ κρατοῦντες dictum. Ad sequentia verba

Παισὶ δὲ μᾶλλον γεγένηται

e praecedentibus subiectum repetendum est δοῦπος μαράγνης.